



Nos Dr. D. Jacobus Font Andreu,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Sancti Sebastiani, etc. etc.

Dilecto Nobis in Christo Dno. Josepho Mariae Arizmendi-Arrieta Madariaga,
synodali examine praemisso salutem in

Domino sempiternam. Maxima vitae ac morum integritate, singulari prudentia, ac scientia rerum
divinarum congruenti praeditos esse oportet, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum ministrandum
deputandi sunt. Cumque te hisce dotibus satis ornatum non immerito iudicemus, idcirco, tenore
praesentium, facultatem tibi impertimur, ad tempus NOSTRI BENEPLACITI

duraturam, ut in Diœcesi Nostra absque praepiudicio iuris parœcialis, Sacrosanctum Missæ Sacri-
ficium celebrare, fidelium confessiones audire, omnesque pœnitentes rite dispositos a quibuslibet
peccatis et censuris absolvere valeas, exceptis iis quæ Sedi Apostolicæ aut Nobis, tam iure quam
decreto diœcesano sunt vel fuerint reservata. Excludimus tamen Sanctimonialium confessiones,
nisi specialem iurisdictionem a iure vel a Nobis pro eisdem acceperis. Te autem in Domino enixe
hortamur; ut ad tantum munus rite obeundum, ea qua decet modestia ac puritate accedas, studio
moralis theologiæ prævie atque indefesse incumbas, et quæ ad rectam Sacramenti Pœnitentiæ
administrationem a sacris Canonibus sancita sunt accurate observes; Constitutiones Apostolicas,
praesertim Benedicti XIV, adversus sollicitantes ad turpia, absolventes complicem in re venerea
necnon sacramentalis sigilli violatores, præ oculis habeas. Utaris ergo, quaesumus, hac potestate
ad aedificationem non ad destructionem; quod si quid arduum inveneris, in cuius solutione sis
anceps, caute sapientiores te consulas, absolutionem interim differendo. Monstra te amantissimum
patrem, iudicem et magistrum; magna cum sollicitudine et patientissima caritate pœnitentes omnes
complectens, eos praesertim quos dubie dispositos noveris ad Sacramentum accedere. Severe
insuper prohibemus, ob tanti Sacramenti venerationem ne in privatis domibus vel Oratoriis illud
administres, nisi gravis postulet necessitas congruisque cautelis adhibitis.

Demum, te solleter admonitum esse volumus ut in Sacrosancti Sacrificii celebratione omnes
et singulas rubricas Missalis Romani reverentè ac devote observes, praescriptum tempus nunquam
tertia horæ parte inferius impendas; conscientiae puritate et praemissa oratione ad altare accedas,
debitasque gratiarum actiones postquam ab altari recesseris Christo Domino referas.

Datis Sancti Sebastiani, die undevigesima mensis junii
anno Domini millesimo nongentesimo quingagesimo tertio

" VALLEANT ETIAM AD VERBUM DEI PRAEDICANDUM "



† Jacobus, Episcopus Sancti Sebastiani

Exemi. a Rmi. Dni mei Episcopi mandato

Manuel

Licentia ad Missam celebrandam
ET VERBUM DEI PRAEDICANDUM
et confessiones audiendas

Reg. Lib. curr. fol. 10